

THEISIS SELECTA,  
DE  
**RELIGIONE,**  
AB  
**OBJECTIONIBUS SOCINIA-**  
**NORUM ALIORUMQUE**  
**VINDICATA.**  
QUAM,  
**Deo Annuento,**  
**ANNO MDCCXXIII. DIE MAJ<sup>I</sup>**  
**Publico Eruditorum examini**  
Exponent  
**CHRISTIANUS SAHMIUS,**  
S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin. Eccles. Palæopol.  
Diaconus  
ET  
**M. GEORGIUS FRIDERICUS RöHSA,**  
Wel. Pruss.  
AUTOR.

Coll. diss. A  
100, 34

REGIOMONTII, Litteris REUSNERIANIS.

a. C. 34.

ATQH. 182. 2123 H

9. N. 3.  
THESIS

**N**emo Gentilium absque fide in Christum ad salutem æternam pervenire potest.

**STATUS CONTROVERSIÆ.**

Qu: An Gentiles, solo lumine naturæ instructi, sine fide in Christum, modo quodam extraordinario, ad salutem æternam pervenire possint? Negat.

**CONFIRMATIO.**

Tantum abest, ut ullæ difficultates nos circumstent, quo minus prompte valideque Thesin nostram probare possimus, ut potius plurima nobis argumenta, ad defendendam illam, suppetant, ex quibus tamen præcipua saltem, brevitatis causa, nunc exhibere, constitutum nobis est. Quisquis scilicet peccatorum salutis æternæ particeps fieri cupit, is fide vera Christum salutis suæ fundamentum ponere deberet: asserente namque Páulo fundamentum aliud nemo ponere potest, præter illud, quod possumus, quod est JESUS CHRISTUS. I. Cor. III. 11. Qui igitur Gentiles hocce fundamento, Christo nempe, vera fide non nituntur, illi quoque ad salutem æternam pervenire non possunt. Id utique necessum est, ut peccator quisque, salutis æternæ appetentissimus, ad reconciliandum sibi DEI irati animum, Christum fide apprehendat: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat.* Joh. III. 16. At vero Gentiles, quibus prædicatio Evangelii non contigit, qui que adeo fide in Christum destituuntur, ad reconciliandum sibi DEI irati animum Christum fide non apprehendunt: *Quomodo enim apprehendent eum, de quo non audiverint?* Rom. X. 10. Neque igitur Gentiles illi ad salutem æternam pervenire possunt. Sunt plura adhuc loca alia, quæ clare ostendunt, Gentilibus, Evangelii cognitione destitutis, nihil spei de obtinenda salute æterna relictum esse. Ita Joh. XVII. 3. Servator noster ipse inquit; *Hac est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum*

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

lum

*lum verum DEum, & quem misisti, Iesum Christum.* Quibus verbis Servator noster non nudam notitiam Dei ac Christi ad salutem obtinendam exigit, sed eam, quæ fidem sibi junctam habeat. At vero Gentiles, Evangelii cognitione destituti, inter solum naturæ lumen non habent veri DEI, ac illius, quem misit, Christi cognitionem, cum fide conjunctam. Expendamus modo, lumen naturæ ne quidem ad exponendum plenius unum illum verum DEum sufficere; & intelligemus facile, multo minus ex illo Christi, à vero illo DEO missi, cognitionem, quæ fidem habeat sociam, peti posse. Habuere quidem Gentiles, conscientia Duce & Magistra, de uno & vero DEO quædam cognita; attamen hæc ipsa illorum cognitione obscura fuit & lubrica: Unde etiam factum, ut Athenienses ἀγνώστω, ignoto DEO cultum præstiterint. Act. XVII. 23. Cum igitur Gentiles, Evangelii cognitione nudati, ex solo lumine naturæ unum illum verum DEUM, &, quem misit, Christum, fide vera cognoscere non possint; vitam certe æternam (judice ipso Christo) non habent, i. e. non salvantur. Quænam ulterius veritas, quænam integritas constaret verbis illis, quæ extant Act. IV. 12. Non est in alio quoquam salus, nec etiam aliud nomen (Iesum Christi) sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari: si Gentiles, à Republica Israëlis alieni, & à fœderibus Christi aversi Eph. II. sine fide in Christum, statorem salutis nostræ, ad felices illas beatarum mentium sedes pertingere possent? Et tandem illa quoque Christi ipsius verba: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joh. XIV. 6. clare satis aperteque ostendunt, Gentiles, fide in Christum destitutos, aditu salutis æternæ arcendos esse, ut impleatur ille Christi sermo: *Qui non credit, jam condemnatus est, quod non credidit in nomen unigeniti filii DEI.* Joh. III. 18.

## ANTITHESIS EJUSQUE SOLUTIO.

Sociniani, ab hac nostra sententia penitus aversi, persuadent sibi, Gentiles, solo lumine naturæ instructos, etiam absque fide in Christum, modo quodam extraordinario, ad salutem æternam pervenire posse. Est hujus sententiae ipse Socinus Praelect. cap. 2. Socino socias manus hac in re jungit Stephanus Curcellæus: Hic alioqui doctissimus Vir *Quaternionem Dissertationum Theologicarum, Samueli Mare-*

*Marefio oppositum, in lucem edidit, atque ibi Dissertatione tertia: De cognitione Christi, an adultis omnibus ad salutem necessaria sit? prolixum pro salute Gentilium suscepit patrocinum. Quia jam Curcellaeus hicce, qui alias quidem Socinianorum globo ac circulo non continetur, hac in re Socinianorum sententiam sibi quoque propriam fecit; Hinc animus nobis est, cum Curcellao congregari, & experiri, quantus salutis æternæ, Gentilibus, fide in Christum destitutis, tribuendæ defensor extiturus sit. Uti vero Curcellaeus infirmis conjecturis modo auguratur, Gentiles absque fide in Christum, modo quodam extraordinario, ad salutem æternam pervenire posse: ita primum illius argumentum, quod No. V. pro salvandis vel certe non damnandis Gentilibus assert, languentibus indiciis constat.* 1. afferit, *solos Evangelii profanos contemptores, atque illos, qui rationis lumen suffocant, aut in injustitia detinent, ut liberius carnis cupiditates explere possint, salute eterna arcendos, & igni eterno adjudicandos esse.* Nihil vero huic meditationi Curcellai concedimus, eo, quod nullus ei ex S. Scriptura locus suppetat, quo probet, illos modo salute æterna arcendos ac igni infernali adjudicandos esse, qui profani fuere Evangelii contemptores, sive, qui Evangelium de Christo annunciatum, vel saltem occasionem cognoscendi Christi oblatam, spreverunt. Scriptura certe omnes in universum peccatores iræ DEI & æternæ damnationis reos pronuntiat. Gal. III. 10. *Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, que scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Hoc igitur reatu iræ divinæ & damnationis æternæ omnes constricti tenentur peccatores, nisi satisfactione Christi, per fidem agnita, ab illo liberentur. (2.) pergit: *Gentilibus non imputatum iri in peccatum, quod in Christum, de quo nihil audiverint, non crediderint.* Potest hæc pro salute Gentilium à Curcellao allata defensio in hunc conferri Syllogismum Conditionalem:

*Si Gentilibus imputaretur in peccatum, quod in Christum, de quo nihil audiverint, non crediderint, damnandi essent.*

*Sed Gentilibus non imputabitur in peccatum, quod in Christum, de quo nihil audiverint, non crediderint.*

*Ergo nec damnandi sunt.*

*Miserum certe hoc argumentum æque improbandum est, ac illud, quo blasphemus hoc forte modo in sui defensionem uti posset:*

*Si*

Si DEum esse negarem, improbus essem.  
Sed quamvis blasphemem, non tamen nego, Deum esse.  
Ergo non sum improbus.

Nihil sane valet hoc argumentum, quia alia crima sunt præter Atheismum, quæ hominem improbum faciunt. (ridet hoc argumentum Auctor *Anonymous Artis cogitandi* p. m. 179. in edit: quæ prodidit Londini M. DC. LXXVII. De nomine vero hujus auctoris inter se eruditi non convenient. vid. Gottlieb Stollen *Historie der Gelahrtheit.* II. Theil 2. cap. 5. 25. p. m. 140. sq.,) Neque igitur quicquam valet illud Curcellæi argumentum. Concedamus enim, non imputari Gentilibus, quod in Christum non crediderint, de quo nihil audiverint; Ergone nihil aliud superest, quod Gentilibus imputari possit? Num Curcellæus hæc scribens immemor fuit peccatorum, & originalis & actualium, quibus Gentiles sunt impliciti, ita, ut non nisi satisfactione Christi, fide sibi applicata, sese expedire possint? Neque tamen Curcellæo id concedendum, non imputatum iri Gentilibus, qui de Christo nihil audiverint, quod in ipsum non crediderint: Salvator enim noster Joh. III. 16. indefinite pronuntiat: *Qui non credit, jam condemnatus est,* nulla indulgentia illis reservata, quibus Evangelium per præconem actu ipso expositum non est. (3) contendit, illos, quibus Evangelium annunciatum est, re vera non esse incredulos, sed rectius nuncupari ignorantes, qui medium inter fideles & infideles teneant locum. Via ad responsum, hac in re Curcellæo suppeditandam, sternenda est nota illa *ignorantie* divisione, in *ignorantium* καὶ ἀπόφασιν, sive *secundum negationem*, & καὶ διάθεσιν, sive *dispositionem*. Illa consistit in negatione scientiæ sive cognitionis, quam quis habere nec potuit, nec debuit: Hæc in carentia scientiæ sive cognitionis, quæ inesse debuisset, cuius ignorantia quis sibi ipsi causa est, per quandam sua sponte contractam pravam dispositionem. Si jam Curcellæus *ignorantium* Gentilium in priori sensu accipit, (ita vero illum eam accipere certissimum est); negamus, Gentiles ignorantes dicendos esse, quia nimirum sua culpa le ipsos nudarunt cognitione Christi, cuius Evangelium ab ipso statim lapsu Protoplastorum in mundo annunciari cœpit, ut adeo in pestiferam *ignorantium prava dispositionis* incurrerint. In V. T. certe Patriarchæ, nullas fixas sedes habentes, sed hinc inde singulari

DEI providentia inter infideles gentes peregrinantes, & disjunctissimas terras magno gradu peragranates, notitiam Evangelii de promisso Messia, verumque DEI cultum in varias gentes disseminarunt. In N. T. autem, in primis tempore Apostolorum, Evangelium ubiquique terrarum prædicatum est; *In omnem terram exivit Iesus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.* Rom. X. 13. Si quis forte tamen anceps hæreat, num Apostoli virique apostolici ad Americanos pervenerint; Illum expendere jubeo, num non hi Viri provido DEO Duce ea via in Americam penetrare potuerint, qua populi illi, quibus hac ætate Americanorum est nomen, eo pervenerunt. Et satius esset asserere, Apostolos per ipsum Domini Spiritum eo raptos deductosque esse, æque ac Philippus ille Act. VIII. 39. 40. quam veritati divinæ nullam adhibere fidem. Vide hanc in rem plura in Disp. D. Job. Musæi, de quæstione: *An Gentiles absque fide in Christum per extraordinariam DEi gratiam ad salutem æternam pertingere, aut minimum ignis æterni supplicium declinare possint.* §. 36.---41. (4.) Defendit Curcellæus sententiam suam loco extante apud Job. cap. XV. 22. *Si non venissem, & locutus essem eis, peccatum non haberent.* Sed male sibi prospexit Curcellæus, quod Gentilium salutem tueri voluerit dicto, ad solos Judæos pertinente. His verbis certe Christus non loquitur de Gentilibus, ab Ecclesia & Evangelio de Christo aversis, sed de solis Judæis, in Ecclesia collocatis, quibus Evangelium multo prius, quam Christus ad eos loqueretur, prædicatum fuit. Quis autem verus horum verborum sensus? Numne Christus asserit, Judæos illos, quibuscum tunc agebat, licet non in Christum credidissent, tamen non habituros fuisse peccatum incredulitatis, dummodo ipse non venisset, & iis locutus esset? Minime. Et errat Curcellæus, Christi verba ita explicans. Hæc potius servatoris mens est, Judæos habituros, quod peccato suæ incredulitatis prætexerent, & quo se excusarent, si ipse non venisset, & iis locutus esset. Mīnūs in verbis hisce Christi est observanda, æque, ac si de fure deprehenso aut convicto quis dicat: *Nisi iste convictus teneretur, esset omnium innocentissimus, i.e. clamitaret, se omnium esse innocentissimum.* vid. Bezan in h. l. Sic igitur rationes primi argumenti, certo ordine propositas, excusimus.

Proprius nunc ad secundum Curcellæi argumentum accedamus,  
Thesi

Thesi sc. VII. putat *Curcellæus*, Gentiles plurimos, qui in verum Deum crediderint, salvandos, ad minimum non damnandos esse, eos quod illi, qui ante Christum carne indutum vixerunt, non respectu meritii Christi & fide in Christum, sed fide in DEum salvati sint: uti quidem exemplis quibusdam ex Ebr. XI. id ipsum probare studet. At vero minus recte prospexit sententia *Curcellæus*, fidem in DEum à fide in Christum distinguens, ut illa absolute sit necessaria ad salutem, hæc non nisi ex revelatione divina: Nam nulla vera & salutaris fides esse potest in DEum, quæ non lociam habeat fidem in Christum, cum non possimus credere in DEum, nisi per JEsum Christum. Joh. XIV. 1. Nec est, quod *Curcellæus* in hac distinctione sibi plaudat propter versum sextum hujus capituli XI. ubi Apostolus inquit: *Qui accedit ad DEum, hunc credere oportet, esse DEum, & præmia largiri iis qui ipsum querunt.* Nam articuli hi duo non intelligendi sunt physice, quatenus rationis lumine cognosci possunt, sed hyperphysice & theologice, quatenus per Scripturam sacram nobis deteguntur cognitione ad salutem ducente, qua non tantum novimus, quod sit Deus, & quod sit omnipotens omnium rerum creator, sed etiam quis sit, *Pater, Filius & Spiritus Sanctus:* quod sit remunerator, non tantum legaliter, sed etiam Evangelice per fidem in Mediatorem ipsum quærentibus. Ita igitur fides in DEum, de qua Apostolus loquitur, non est generalis notitia DEI, bonitatem suam quovis modo diffundentis; sed cognitio veri DEI, propter Christum bona cœlestia largientis. *Et accedere ad DEum* Apostolo nihil aliud est, quam communionem cum DEO in Christo obtainere, uti ex aliis locis id patet. Hebr. IV. 16. VII. 25. X. 22. Et hanc quoque, *Curcellæe*, accipe responsonem: non procedere hanc argumentationem: Sacrae literæ perhibent, credere oportere accedentem ad DEum, quod Deus sit: Ergo opus non est, ut fides JEsum amplectatur. Vocabulum enim *Θεός* in famosiori significatione tres involvit divinitatis personas, quarum expressam mentionem hoc loco injicere brevitatis causa Apostolus supersedit, quod res tota Ebræis procùl dubio satis cognita fuerit, vid. D. Joh. Franc. Buddei Disp. de Fide, quam nonnulli fingunt, naturali, §. 21. Jen. 1709. Vehementer igitur errat *Curcellæus*, statuens, fidem in Christum Mediatorem non fuisse necessariam, ad placandum DEum, antequam Christus in mundum venisset, sed tan-

tum

tum fidem in DEum. Et certe, si fides in Christum tunc non fuit necessaria, cur DEus Protoplastis statim post lapsum, inter ipsa misericordia initia, semen mulieris, post tot remotissimorum seculorum intervalla deum venturum & caput serpentis contritum, in Prot-Evangelio exposuit? quod in dies cum pleniori explicatione nativitatis, passionis & mortis Christi ulterius propagatum est. Si fides in Christum non fuit necessaria ante adventum illius in carnem, cur fideles V. T. sacrificiorum suorum ritu respexerunt ad unum & verum sacrificium expiatorium totius mundi, JESUM Christum? vide hanc in rem Disput. D. Job. Guilielmi Bajeri, que inscribitur: *JESUS Christus, Solus atque unicus Sacerdos, & sacrificium expiatorium Mundi Cap. II. Membr. 2. §. 1. & seq. p. 61. & seq. Jen. 1688.* Hæc & plura alia clare ostendunt, & in V. T. fidem in Christum, non vere solam fidem in DEum ad salutem necessariam fuisse. Exemplis, ex cap. XI. Epist. ad Hebr. adductis, Curcellæus pariter nihil obtinet, & fallitur, si putat, homines illos, capite isto recensitos, non respexit fide sua ad Christum, Servatorem mundi olim futurum, sed illam totam in aliis actibus objectisque constitisse. Nam fides illorum euidem ab aliis, in alia, quam in venturum Messiam, Objecta directis describitur, propterea, quod per actus illos maxime fides eorum eruperit, aliisque se ostenderit; ex eo tamen non sequitur, quod fides illorum non etiam promissum Messiam spectarit, huncque amplexa sit. Ita ex gr. Auctor Ep. ad Hebr. cap. XI. v. 17. sq. describit fidem Abrahami ab actu, quo DEO, filium immolare jubenti, obtemperavit, promissionum sibi factarum causa minime animo fluctuans: *Quis autem propterea, quod fides Abrahami ab hoc actu describatur, afferat, Abraham non habuisse fidem in Messiam, cum tamen fide eminus diem Messiae viderit. Joh. VIII. 56.*

Quæ in argumento tertio thes. XV. tela in nos vibrat Curcellæus, illa iisdem responsionibus retundi possunt, quibus nunc secundum illius argumentum fregimus, atque adeo labore tertium illius argumentum disjiciendi superledemus.

Quartum argumentum, quod Curcellæus ad defendendam Gentilium salutem afferit, thesi XVI. his verbis inclusum extat: *Illi, qui fide in Christum carent, bona opera, DEO accepta edere possunt, atque in studio sancte vivendi perseverare, & peccatorum penitentiam agere*

agere, quanquam non sine DEI auxilio: Ergo salutem æternam adipiscuntur, per extraordinariam & immeritam DEI gratiam, aut saltem ignis æterni supplicium effugient. Antecedens suum firmare conatur ex Rom. II. 14. 15. quem locum probare putat, Gentiles se tradere bonis operibus & peccata vitare, quod ea faciant, quæ sunt legis. Consequentiam vero adeo manifesta veritate radiare existimat, ut probatione non indigeat. Multum animo præsumit Curcellæus, sed parum aut nihil illi tribuemus ac concedemus. Statim enim Consequentiam illius nullam esse dicimus, eo, quod bona opera, etiam renatorum, fide in Christum instructorum, non sint omnibus modis perfecta, & ad legem divinam rite accommodata, nedum non renatorum, qui fide in Christum sunt vacui. Quorum autem opera ita sunt comparata, illi nec salutem æternam his ipsis obtainere possunt, sed manent sub lege maledicente, tam diu, donec aliunde, merito sc. Christi, pro peccatis illorum satisfiat. Irrito quoque studio Curcellæus salutem Gentilium eo ipso defendere studet, quod nempe Gentiles pœnitentiam agere possint. Quia namque fides in Christum à pœnitentia illorum est aliena, hinc & inter ipsam pœnitentiam illis, DEO exosis, damnatio æterna imminet. Agnoscat licet Gentilis, pœnitentiam agens, DEum, ut misericordem, misericordia generali, quæ ad bonum aliquod temporale & pœnarum dilationem tendat; non agnoscit tamen eum misericordem, misericordia speciali & salutari in Christo. Agnoscat licet DEum ut placabilem & benignum; non tamen agnoscit eum ut re ipsa placatum, vel certo placandum, quod tamen posterius in pœnitentia necessario requiritur ad tranquillandam conscientiam. Et unde agnosceret DEum ut vere placatum, cum nesciat verum modum placandi justitiam ejus, qui modo petendus est ex solo verbo Evangelii, quod misericordiam DEI nobis aperit. Operam quoque perdis, Curcellæe, si recurras cum Gentilibus tuis ad gratiam DEI extraordinariam, quam nullo Scripturaræ sacræ loco probare poteris, ex qua potius discimus, DEum nulli mortalium, nisi satisfactione Christi, fide arrepta, stipatus sit, peccata remittere velle. Alacrem si te reddat dictum

B

Chri-

Christi Matib. XIII. ii. habenti dabitur, ut adeo putas, habenti lumen naturæ daturum quoque DEum extraordinario quodam modo lumen aliquod gratie, gradum te sistere jubeo, eo, quod ibi de donis gratiae, quæ Deus novis donis coronare solet, minime vero de donis naturæ agatur. Sic igitur argumenti tui *Consequenzia*, *Curcellæ*, corruit. Deinde & *antecedens* propositionis tuæ in errore versatur, illos sc. qui fide in Christum carent, bona opera, Deo accepta, edere posse. An forte nescius es, bona opera, DEO grata, & studium sancte vivendi esse *fructus Spiritus sancti* Gal. V. 22 & proventum illorum ab istis afferri, qui per fidem sunt in Christo, veluti palmites in vite. Job. V. 5. Qua igitur ratione Gentiles opera bona, DEO accepta, edere possunt, cum illi vacui sint Spiritu DEI, cum non sint palmites in vite Christo, sed arbores male, quæ bonos fructus ferre non possunt. Id quidem extra controversiam positum est, ad actionem bonam requiri, ut non solum bona sit, quoad substantiam actus, verum etiam quoad omnes circumstantias. His probe observatis neutiquam Gentilibus nonnullis substantiam actus boni denegamus, cum verissimum sit, substantiam actus, cum elemosynas v. gr. pauperibus distribuerent, fuisse bonam; quod si vero quis contendat, quoad omnes circumstantias hunc actum fuisse bonum, hanc quidem sententiam nunquam approbaturi sumus. Cum enim circumstantiarum hæc præcipua potissima que sit, ut ex fide actio proficiscatur, Act. XV. 9. Rom. XIV. 23. Tit. I. 15. si nempe bona esse velit; manifestum omnino est, splendida potius peccata, quam virtutes Christianas nuncupandas esse illas Gentilium actiones. Quæ ad probandum *Antecedens* suum *Curcellæus* affert, illa nullius sunt valoris vel roboris. Primo quidem obtendit locum Rom. II. 14. 15 Nullum vero commodum inde sententiæ illius accedit. Nam Paulus ibi non affirmat, Gentiles posse bona opera, DEO accepta, edere, atque in studio sancte vivendi perseverare: sed saltem dicit, Gentiles, lege naturæ, cordibus ipsorum insidente, facere ea, quæ legis sunt, i. e. quædam lege præcepta, non autem totam legem implere. Si vero quis saltem quædam lege præcepta agat, non dum certe sim.

simpliciter bona opera, DEO accepta, edere & sancte vivere dicendus est. Sed ingerit se *Curcellæus* in circulum obstetricum Ægyptiacarum, hasque bono opere, quod sc. masculos Ebræorum, ad Regis mandatum interficiendos, conservaverint, gratiam DEI ac salutem æternam obtinuisse afferit. Habemus jam, quod *Curcellæo* respondeamus (1.) mulieres illas, inter frequens commercium Israëlitarum, fidem (ut videtur) in Messiam ab Israëlitis accepisse, & opera illarum DEO per fidem in Messiam placuisse. (2.) Mulieres illas etiam absque fide in Christum, lege naturæ & stimulo conscientiæ commotæ, neglecto Regis mandato, ab homicidio abstinere potuisse. Inde vero, quod DEUS illis domos ædificaverit, sive beneficiis temporibus pietatem illarum erga Israëlitas remuneratus sit, non videamus patere, DEum ipsis intuitu bonorum operum per gratiam extraordinariam vitam æternam aut tribuisse, aut tribuere voluisse.

Transvolat ulterius *Curcellæus* ad *Rababam* & *Ninivitas*, hosque bona opera DEO grata fecisse afferit. Quod vero supra de *Abrahamo* diximus, idem & de his nunc dicendum. Ut ut scilicet ab aliis actibus fides illorum describatur, minime tamen afferendum, illos fide in Messiam destitutos fuisse, sed dicendum potius, eos ex fide bona sua opera edidisse. Hanc errorum suorum multitudinem *Curcellæus* adhuc auget exemplo *Cornelii*, *Centurionis*, cuius mentio injicitur *Aet. X.* Hunc putat absque fide in Messiam bona opera, DEO accepta, edidisse, & in studio sancte vivendi perseverasse. Erras, *Curcellæe*, hæc afferens: Licet enim *Cornelius* origine Gentilis fuerit, religione tamen proselytus fuit: & licet non crediderit, Messiam venisse, & esse JЕtum, quem Petrus annunciabat; potuit tamem ductu Oraculorum Propheticorum credere cum Judæis, eum venturum. Sic igitur *Cornelius* non annumerandus est Ethnicis, sed Patribus, qui salutem à Redemptore non dum patefacto expectabant. Sic quoque Petrus fidei *Cornelii* non initium attulit, sed accessionem quandam adjunxit. Præclare tandem sentit *Curcellæus* de operibus virorum eximiorum, de quibus est apud *Ciceronem*,

*Senecam, Plutarchum, Diogenem Lærtium, Valer Max.* At vero Viri illi ob singularem modo morum honestatem & operacionem viliter bona in præcipua quadam commendatione ponuntur, non vero ob internam sanctitatem cordis, cuius per vires suas naturales capaces non fuerunt. Neque igitur Curcellæus inde id extorquere potest, Gentiles absque fide in Christum opera DEO simpliciter accepta edere, atque in studio sancte vivendi perseverare potuisse.

Expendamus nunc ultimum Curcellæi argumentum, quod Thesi XVII. extat: *D*Eus illos, quibus Evangelium non est annuntiatum, nunquam permisit esse destitutos iis mediis, quibus in se credere, & ex fide sibi obedientiam & subjectionem exhibere possent: Ergo, qui istis mediis bene usi fuerint, salutem æternam absque fide in Christum consequentur. Hæc verba Curcellæi in antecedente obscuras latebras abditosque recessus habent. Tenebrisca enim sunt verba illa: *credere in D*Eum, & ex fide eiobedientiam & subjectionem exhibere. Vel namque idem significant, quod credere, D<sup>E</sup>um esse, atque eum sceleribus vindicem, virtutibus remuneratorem, imminere, sicque ex hac fide DEO externam quandam obedientiam & subjectionem, in vita civiliter honesta, & scelerum declinatione consistentem, exhibere: Vel idem denotat, ac *credere cum fiducia impetranda certo apud D*Eum gratiae ac remissionis peccatorum, & ex fide hac obedientiam internam, in sanctitate cordis positam, subjectionemque exhibere. Priorem sensum si Curcellæus antecedenti suo tribuat, non adversamur illi. At vero tunc Consequentiam illius nullam dicimus. Ad obtainendam etenim salutem æternam prædicta fides in D<sup>E</sup>um, & inde fluens qualiscunque externa obedientia & subjectio nequaquam sufficit. Fidem namque talem & homines nequam, imo Diaboli, habere possunt. *Jac. II. 19.* Obedientiam vero talem, cum semper internam fœditatem cordis sociam habeat, & hypocritæ præ se ferre possunt, ad exemplum Pharisæorum. *Matth. XXIII. 23.* Manet igitur adhuc homo, hanc modo fidem, hanc modo obedientiam tenens, peccato & suppicio ignis æterni obnoxius, neque adeo hæc fides, hæc obedientia

dientia, causa obtainendæ salutis æternæ esse potest. Si vero Curcellæus posteriorem sententiam antecedenti suo proprium esse velit, negamus statim utramque antecedentis partem. Falsum est antecedens secundum primam partem, qua dicitur, DEum nunquam permisisse eos, quibus Evangelium est annunciatum, omnino destitutos esse iis mediis, quibus in ipsum credere possint, cum certa & indubitata fiducia impetranda apud illum gratiæ ac remissionis peccatorum. Quibus namque non suppetit Evangelium, illis quoque nec in se nec extra se in mundo ulla alia media suppetunt, quibus certam & indubitatem impetrandæ apud Deum gratiæ & remissionis peccatorum fiduciam animo suo inducere possint. Falsum quoque est antecedens secundum alteram partem, qua dicitur, DEum nunquam permisisse, illos, quibus Evangelium annunciatum non est, destitutos esse iis mediis, quibus obedientiam internam & subjectionem ex fide DEO exhibere possint. Naturales enim vires non pariunt internam obedientiam, DEo debitam, dum *natura mortui sumus in peccato & filii ire Eph. II. 1-3.* sed illa tota proficiscitur ab efficacitate Spiritus S. qui *Spiritus est regenerationis ac renovationis. Tit. III 5.* Cum vero Spiritus S. non nisi per Evangelium detur, ex auditu fidei; Gal. III. 2., illi certe, qui destituuntur Evangelio, etiam destituuntur medio, quo Spiritus S. efficacitas ad præstandam DEO obediens ntiam internam confertur. Quæ loca Curcellæus ex Act. XIV. 16. XVII. 26. Rom. I. 19. 20. 21. ad probationem antecedentis sui affert, illis nihil sane impetrat, dum nihil aliud illa loca evincunt, quam DEum nunquam permisisse, illos, quibus Evangelium non est annunciatum, destitutos esse iis mediis, quibus in ipsum credere. (NB voce in sensu nostro priori sumpta) & aliqualem obedientiam externam & subjectionem illi exhibere possent. Hæc vero ita explicata Consequentiam argumenti tui, Curcellæe, impediunt. Inquiramus nunc in locum Rom. II. 4. quo Curcellæus suam munire studet sententiam. Primo quidem indicandum, locum illum, quo Paulus de *benignitate DEI, ad pænitentiam invitante, loquitur,* huc non pertinere, quod non de *Gentilibus, sed de Judæis agat,*

quos Paulus hoc capite peccati convincere laborat, uti cap. I.  
Ethnicon jam convicerat. Patet id ipsum (I.) ex iis, quæ isti  
homini tribuit, quem compellat, quæ in nullam alium aptius,  
quam in Judæum, quadrant, ut quod alios judicet, in iis, quæ  
ipse perpetret, & ex cap. II. 17. ubi nominatim sermo ad Ju-  
dæum dirigitur, qui dicitur esse homo ille, quem allocutus fue-  
rat: *Ecce tu Judeus nominaris.* Quæ verba non sermonis novi  
inchoationem, ad alium hominem, à præcedente illo distinctum,  
sed prioris continuationem, cum clariori designatione personæ,  
important. Χειρότης igitur, de qua hic agitur, notat revela-  
tionem factam Judæis, & beneficia in illos collata; nihil vero  
commune habet cum operibus providentiaz generalis. Secundo  
tamen concedamus, locum illum agere de Gentilibus, & recte  
evincere, illos sc. DEI benignitatem erga homines & patientia,  
qua in tolerandis peccatis hominum utitur, ad pœnitentiam  
quadantenus adduci posse; minime tamen inde id fluet, Gentili-  
les posse etiam illa DEI benignitate & patientia adduci ad cre-  
dendum in eum cum fiducia impetranda apud ipsum gratiæ, re-  
missionis peccatorum & salutis æternæ: in qua tamen re pro-  
banda omne momentum causæ tuæ, Curcellæ, positum est.

Pergit Curcellæus Thes. XXII. pœnitentiam esse infallibilem  
viam ad salutem, nec DEum ulli unquam peccatori serio resi-  
piscendi, admissorum veniam denegare. At vero nos respon-  
demus, id quidem verum esse de pœnitentia, cui fides in Chri-  
stum juncta est, minime vero de pœnitentia Gentilium, qui  
Evangelio destituti satisfactionem Christi pro peccatis suis ap-  
prehendere non possunt.

Tandem Thes. XXIV. Curcellæus sibi persuadet, Paulum  
sententiæ suæ faventem judicem sedere in Epist. ad Rom. cap. II.  
v. 7. Sed inanem vanamque spem animo concepit. De nulla  
enim re minus Apostolus ibi sollicitus est, quam de salute Gen-  
tilibus tribuenda. Audi, Curcellæ, continuum sermonis Apo-  
stolici nexum. Verbis præcedentibus v. 6. dixerat Apostolus,  
*DEum judicem justum redditum unicuique esse mercedem, se-  
cundum opera ipsius.* Qualis jam illa merces futura sit, declarat  
v. 7. & sqq. pro differentia hominum, quorum alii secundum pa-  
cientiæ.

zientiam boni operis gloriam, honorem & immortalitatem querunt, alii ex contentione non obtemperant veritati, sed injusticie: Illis vitam eternam; his excandescitiam & iram adjudicat. Repte his postremis, sive Evangelium de Christo ipsis annunciatum sit, sive non, iram DEI adjudicari, nec Curcellæus diffitetur. Priorum autem ordini Curcellæus non solum credentes in Christum, sed etiam Gentiles, honestæ vitæ tenacissimos, Evangelio licet de Christo nudatos, annumerat. Nos contra illos tantum, qui fide in Christum nituntur, hacque suffulti in vera vitæ sanctimonia persistunt, ordine illo circumcludi dicimus: (1.) quia illa patientia vel constantia in bonis operibus, quam Deus vita æterna, veluti dono gratuito, vult remunerari, in interna cordis sanctitate consistit, quæ fidei in Christum & Spiritus S., in credentibus habitantis, fructus est: ut adeo hæc patientia non influat in animum Gentilis, sed fidelis tantum hominis, qui mortuus peccato vivit DEO per Iesum Christum. Rom. VI. II. (2.) quia nec promissio de vita æterna gratuito tribuenda illi, qui bonis se auget operibus, innotescere, nec vires gratiæ ad eam quærendam obtingere homini possunt, nisi per manifestatum Evangelium: neque igitur illi, qui Evangelio sunt destituti, bonis operibus vitam eternam quærere possunt. Non est, Curcellæe, quod nos moreris excipiendo: (1.) de Gentilibus non minus, quam de Judæis, istud dictum intelligendum esse: nam consentientes nos habes, intelligendum esse de utrisque, sed secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & immortalitatem quærentibus, quibus utique omnes & Judæi & Gentiles sunt annumerandi, quorum fides constanter Christo nititur (11.) non respicere Apostolum ad Gentiles per Evangelium vocatos, sed in statu naturæ adhuc residentes, evinci ex iis, quæ immediate sequuntur: *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Attende modo animum, Curcellæe, ad duplicem damnandorum conditionem, quaalii peccaverunt sine lege (*à DEO promulgata*) alii in lege (*divinitus promulgata*) illi enim sine lege illa, *à DEO promulgata*, peribunt (*sola lege ipsorum menti inscripta damnandi*): Hi vero lege, *à DEO promulgata*, damnabuntur ac peribunt.

bunt. Quia autem ratione inde impetrabis Curcellæ, in ordine illorum, qui secundum patientiam boni operis gloriam, honorem & immortalitatem quærunt, etiam illos Gentiles contineri, qui ad cognitionem Evangelii non pervenerunt? (111.) Verbis v. 8. & 9. Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt Veritati, credunt autem iniquitati, erit tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum; Judæi primum deinde & Græci: comprehendi severam comminationem, Gentiles & que ac Judæos ferientem: Absurdum autem esse, si quis putet, promissa alicuius legis ad eos omnes non pertinere, qui illius minis subjecti sint. Resp. Promissa utique ad eos omnes spectare, ad quos spectent minæ, & sic spectare etiam promissionem vitæ æternæ ad Gentiles, sed sub conditione, si secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem & immortalitatem quæsiverint. Huic autem rei non sunt accommodati, nisi Evangelii virtute ad Christum perducti sint. Non dum igitur Curcellæus argumentis suis aditum ad beatas sedes Gentilibus, fide in Christum destitutis, reclusit. Cui tandem novo illique tertio loco insolens novusque ædificator contigit Curcellæus, quem Gentiles probos, si ad salutem æternam forte non admittendi sint, olim impleturos putat, illi manum nostram admovere nolumus: Scripturæ S. potius inhæremus, duos tantum locos statuenti, quorum alter ad probos, alter ad improbos recipiendos, destinatus est.



Coll. diss. A. 100, nr. 34